



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

3. Dies Junii. Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate. Cicero 2. de finib.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 3. DIES JUNII.

Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate. Cicero 2. de finib.

Voluptas I.

**N**isi hujus tesserae citassem auctorem, credidisses eam fluxisse ex calamo non Ethnici, sed Catholici; non Tullii, sed Tertulliani. Si dies unus in voluptate exactus ab homine, faciat indignum nomine hominis, quis inter homines gaudebit titulo hominis? Nonne exterminari deberet ista nomenclatura, ex rerum natura? Quid hoc monstri, voluptatem, quam Gentiles abominantur ut Furiam, Christiani exosculantur ut filiam? Cum tamen nulla sit eam capitalior homini pestis. Illa enim suscepit patrociniū omnium prope vitiorum. Illam perorante, & argumentationes suas tortuosas, & cavillatrices explicante, mens, ratio, justissimæ leges, Numinis voluntas, quæ in vita, ut in communi hominum foro, & judiciis dominari, par est, abjiciuntur. Nullum quippè est maleficium tam immane, nullum scelus tam enorme, nullum flagitiū tam turpe, nullum facinus tam detestandum, cui non sua patrocinetur voluptas, vel quod non gustus quidam suavitatis alliciat. Itaque plures in foribus voluptatis, quam olim in januis præstantium Oratorum, sunt palmæ, laureæq; indices triumphorum, adeo ut illi uni omnes fasces submittant, herbas porrigant, ut totus

mundus illi epinicia canere videatur, & cum Epicuro, ac Epicureis Poëtis exclamare: *Dux vitæ, dia voluptas.*

II. Ad eò illa in omnium natura est impressa, & inserta penitus hominum fibris, ut videatur se negare, qui voluptatem ejurat, quasi à natura discedere, qui jucunditatem vitæ repudiat, sine qua vix expectanda vita videatur. Hinc liquet, quàm sit facturandum, contra voluptatem eniti, comprimere, & abjudicare, quæ cuihabet est congenita, singulis domestica, universis non modò familiaris, sed quasi contubernalis. Quàm porrò est omnibus familiaris, tam est cuihabet exiualis, ita ut nullum sit vitium, cum quo non habet contubernium: hinc pronum ab illa panditur iter ad omne scelus, quæ blandâ omnes titillatione allicit ad libidinem, & alia insignia mala. Quapropter qui mentem altiùs efferunt, illud sibi proponant, ut omne genus voluptatis, quæ à carne, & sanguine petitur, uti Sirenum scopulum vitent, ut Capharea saxa declinent. Quod præsertim illis studiosè providendum est, qui à natura mulieriosi, facile amoribus implicantur, aut dulcium rerum gustu, & cupediis capiuntur, & affluentium communium opum abundantiam in molliem infringuntur. Quibus acerrimè pugnandum est, & influenti, ac blandienti voluptati, Dei timor obijciendus, & dicendum cum viro Græciæ clarissimo: (a) *non tanti emolpœnitere, adde, pudere, tædere, perire.*

III. Quid quod voluptas, quæ hauritur è voluptate, sit tempore modica, acerbitas, quæ inde nascitur, sit diuturna. Voluptates nobis somniatibus, dolores vigilantibus offeruntur: molestiæ in manus

(a) *Gell. l. 1. c. 8.*

Junius.

Tessera.

425

de gustandæ porriguntur; quies autem tantum auri-  
bus haurienda conceditur. Dantur nobis adversa, ut  
experiamur; prospera tantum, ut intueamur. Si qua  
se offerat in vita jucunditas, præterit non reditura. Si  
verò occurrit anxietas, manet non relictura, ut porrò  
excello monti præcipitiū, ita voluptati finitimum est  
fastidium. Deinde antea penè avolat, quàm advo-  
lat; citius miramur præterisse, quàm delectamur ve-  
nientibus; antea ferè aufertur, quàm venerit. Unde  
voluptas cuilibet est advena, quæ inde sequitur acer-  
bitas, est incola: illa hospes, hæc domestica: illa  
est velut in alieno solo peregrina, hæc quasi in pro-  
prio domicilio inquilina: voluptas inardescit concu-  
pita, vilescit acquisita, evanescit amissa. Præterita au-  
tem voluptas præsentem non juvat, & exhausta non  
satiat. Denique ubicumque, & quocumque inceda-  
mus, tanta est sincerarum voluptatum penuria, tanta  
molestiarum abundantia, ut vix centum annis unum,  
quo oblectemur, & quibus excruciamur, vel myria-  
des passim reperiamus. Non sinamus igitur nos à  
cæca cupidine excæcari: nam teste Poëta.

*Mentes corruptas exæcat blanda voluptas.*

#### 4. DIES JUNII.

Quid prodest si exteriora serenitas re-  
neat, interiora tempestas. *Casarius Arc-  
latens. Hom. 27.*

Dd 5

I. Ut